

genere ipso nobilis, sed nobilior etiam demonstratione brevi & facili: mirū tamen est hanc propositionem licet generalem nusquam ferē appellari, 47 p 1 specialem infinitis locis citari. Sed specialis quadratorum usus id efficit, sicut antea dixi de re-ctangulo & de quadrato ex linearum proportione: Hæc (inquam) propositio tam singularis est. Loquitur tamen improprie geometres, ut antea cum formam nomi- nat pro triangulo aut triangulato: id enim solidis corporibus convenire nō potest: nec enim cubus basis æquatur cubis crurum, ut in lateribus trianguli 3. 4. 5. est ma- nifestum. Ergo non quælibet figura hic comprehendi potest: nec magis proprium est illud à subtendente figura pro figura comparata subtendenti. Deniq; hic etiam similiter descriptum ut antea nihil ad geometriam facit, nec situs omnino respon- det, cum primum triangulatum planum possit esse horizonti, cum reliqua subline- erigantur, neque omnino differentia situs respondent.

32 Citatur 17 p 13, & ideo retinetur à nobis 11 e 7. literā tamen emendavimus.

33 Demonstratio Euclidis seu Theonis huc eadem redit, quæ fuit ad 1 p 6 per 6 d 5, sophismate simillimo. Quæstio enim est categorica de proportione angulorū & peripheriarum: Propositio syllogismi connexa est ex illa definitione. Si sumptis æquemultiplicibus alternis æqualitas, excessus, defectus similiter accidant, pro- portionalia sumpta esse: assumptio quæ categorica esse debuerat per tres illas spe- cies rationis abit in fumum superioribus illis similem: æqualitas approbatur e li- bro tertio: excessus & defectus nullam antea neque propositionem, neque demō- strationem habuit: assumitur tamen à Theone & revera ac veritate (ut antea dixi) nihil aliud hic agit Theon quàm ut inducat, si angulus æqualis, periphèria æqualis, si major, basis tanto major, si minor, tanto minor. Itaque hæc nobis in geometria demonstratio vel inductio Theonis sola est. Ratio autem peripheriarum & sub- tensarum nō eadem est, ut ex Ptolemæo didicimus, quale est illud in catoptriciis Eu- clidis 8 th. quod æqualia parallela inæqualiter distantia habent majorem rationem distantiarum quàm angulorum, qualis item Jordani propositio, sed de his tribus antea jam dictum est.

LIBRI DECIMISEXTI FINIS.

PETRI RAMI SCHOLA-  
RUM MATHEMATICARUM  
LIB. XVII IN DEFINITIONES  
septimi elementorum.



IBER quintus logicam & arithmetica habuit nomine magnitudinis, unde tres definitiones huc iteratæ sunt partis, multiplicis, proportio- naliū: item propositiones duodecim, de alternatione quatuor 9. 10. 11. 15 p 7: de compositione tres, 5. 6. 12 p 7: de divisione tres 7. 8. 14 p 7 de æ-